Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793
Seite 449
Quelle:
Copyright:

trinae, ſunt, quae ordine alphabetico procedunt. Priora incipiunt *de Miraculis divina poteſtate factis*, poſteriora *de Adoratione et cultu Dei.* Ad priora pertinet v. g. Editio *Colon.* 1544. 4. quae mihi objacet, ad poſteriora *Codex*, quem tractamus. Praeeunt illum *Capitum* Tituli, ejusque initium eſt: *Factum eſt ut offerret cayn de fructibus terrae munera domino* &c. Finis: *Explicit liber ſcintillarum Bede presbiteri vel ſecundum quosdam liber exemplorum ſacre ſcripture Johannis de hanapis.* Meminit *Quetifus* T. I. *Scriptt. Ord.* p. 425. dum de *Florilegio* noſtro agit, Exemplarium, quae *Bonaventurae* aut *Guil. Peraldi* nomen praeferunt, ſed, quod *Bedae* tribueretur, nullum vidit.

CLXIV. VI. E. 29.

317 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 93. f. eleganter ſcriptus et rubricis enotatus ſequentia complectitur: I. *Incipit liber acinendon* (corrupte pro Ἀντικειμενων) *id eſt contra oppoſitorum.* Ἀντιλογιαι ſunt S. Scripturae per Interrogationes et Reſponſa extricatae, duobusque, non *tribus*, Libris comprehenſae, quorum *primo* vetus Teſtamentum, *ſecundo* Novum percurritur. *Liber* I. ſic orditur: *Interrogacio. Cum in Geneſi Septem Primi dies legantur* &c. *Reſponſio. Cur* (qui) *ſuperius per dies ſingulos condita omnia retulit* &c. Ad calcem minio: *Explicit liber. I. De ueteri teſtamento. Incipit ſecundus De nouo.* Initium hujus: *Interrogatio. Quomodo Chriſtus dicit. adtendite ne iuſticiam ueſtram faciatis* &c. *Reſponſio. Quid ergo quod opus ueſtrum. et ita faciendum eſt. ne uideatur* &c. Ultima: *ibi non eſt uirga neceſſaria ſed ſpiritus lenitatis. Expliciunt Interrogationes. Et Reſponſiones Ex Veteri Et Novo Teſtamento.* Opus hoc *Salviano* ſuo ſubjunctum primus in lucem extulit *J. Alexander Braſſicanus* noſter *Baſileae* 1530. f. *incerto*, ut fert Titulus, *Autore*; non tamen noſtro e *Codice*, III. enim ille *Libros* facit, *tertium* ab *Interrogationibus in Pauli Epiſtolas* exorſus; praeterea in titulo *Anticimenon* legit. Decennio poſt (ſed fortaſſe jam 1533.) vulgatum eſſe *Coloniae* 8. ex antiquo *Fuldenſi* Codice tradit *Andr. Schottus*, qui ſimul de Autore ſollicitus *Ildefonſum Tolet. de Scriptt. Eccl.* excitat, in cujus *Adp.* a *Felice Ep. Toletano* ſubjuncta de *Juliano* pariter *Tolet. Epiſcopo* ita habetur: Scripſit *librum de contrariis, quod Græce* ἀντικειμενων *voluit titulo adnotari: qui in duobus diviſus eſt libris, ex quibus primus diſſertationes continet veteris Teſtamenti, ſecundus novi.* Adi *Fabricii Bibl. Eccl. l. cit.* et *Bibl. PP. Lugdun.* T. XII. p. 647. ubi Opus aperte *Juliano Toletano* datur. Rem tamen dubiam reddit alter *Scriptt. Eccl.* Biographus aetate, ne quid diſſimulem, *Felice* quidem inferior *Petrus Diaconus*, qui C. 12. *de Viris illuſtr. Caſinenſ.* de *Berthario* loci Abbate ita narrat: *Li-*